

Wg. 40.



DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA
DE
INDOSSATIONE LITERARVM
CAMBIALIVM
SECVNDVM
IVS CAMBIALE HAMBVRGENSE
COMMVNI IN AVXILIVM
VOCATO

QVAM
AVSPICIIIS REGIIS
AVCTORITATE ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM
ORDINIS
IN
ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA
PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
RITE OBTINENDIS
DEFENDET
DIE XIX. SEPTEMBRIS MDCCXCV.
IOANNES MICHAEL GRIES
HAMBVRGENSIS.

GOTTINGAE
LITERIS GRAPIANIS.

15

DSSERTATIO IN DIGNISSIMO
DE
INDOSSATIONE I TERRARUM
CAMBIALIUM

SECUNDA
IUS CAMBIALE HAMBURGENSE
COMMUNIS AVALIUM
LITTERIS VOYSEPHI PRINCEPS

1761
LITTERIS VOYSEPHI PRINCEPS
LITTERIS VOYSEPHI PRINCEPS
LITTERIS VOYSEPHI PRINCEPS

INSTITUTIONE GEORGIA AVASTA
LITTERIS VOYSEPHI PRINCEPS
LITTERIS VOYSEPHI PRINCEPS
LITTERIS VOYSEPHI PRINCEPS

LITTERIS VOYSEPHI PRINCEPS
LITTERIS VOYSEPHI PRINCEPS



SACRI ROMANI IMPERII

LIBERAE ET INCLYTAE

REIPUBLICAE HAMBURGENSIS

SENATI

SPLENDIDISSIMO ET AMPLISSIMO

VIRIS

MAGNIFICIS PERILLVSTREBVS

CONSVL-

TISSIMIS EXCELLENTISSIMIS

ACTOR

ACTOR



PATRIAE PATRIBVS
PATRONIS ET FAVORIBVS
SVIS INDVLGENTISSIMIS

HAECC

STVDIORVM SVORVM CONAMINA
OMNI QVA PAR EST REVERENTIA ET VERECVNDIA
OFFERT

TANTORVM NOMINVM

CVLTOR OBSERVANTISSIMVS
AVCTOR.

ARGUMENTUM.

3 Praefatio.

I. Communia de indoffatione (Sect. I. §. 1-3).

II. De indoffatione per modum cessionis (Sect. II. §. 4-38).

A. In se considerata.

1. Requisita:

a. Quoad personam indoffantis (§. 4-9).

b. Quoad formam indoffationis (§. 10-23).

2. Effectus indoffationis (§. 24-30).

B. Comparata cum cessione (§. 31-38).

III. De indoffatione per modum mandati (Sect. II. §. 39-45).

ARGUMENTUM

- I. Communis de indolentia (Sect. I. §. 1-3)
- II. De indolentia per modum, cessione (Sect. II. §. 4-38)
 - A. In se considerans
 - a. Resoluita
 - b. Quod personam indolentem (§. 4-9)
 - c. Quod formam indolentem (§. 10-33)
 - d. Eiusdem indolentem (§. 34-36)
 - e. Communem cum cessione (§. 37-38)
 - B. De indolentia per modum mandati (Sect. III. §. 39-43)



PRAEFATIO.

Nonnulla mihi praemittenda esse videntur ad illustrandam defendendamque methodum, qua usus sum in tractando, quod mihi proposui, argumento. Qualem viam iniverim, ex iis statim patebit, quae primo loco de fontibus iuris cambialis communis, altero de ordine, quo collocavi, quae ad indossationem litterarum cambialium pertinent, iam tradam. Sunt iureconsulti, qui, quoties in scriptis, vel ad universum ius cambiale, vel ad singulas eius partes spectantibus, thesin aliquam iuri cambiali communi vindicare velint, toties recurrant ad concentum ordinationum cambialium, non dubitantes, ea, quae plurimae, vel multae tantum earum disponant, tanquam normas communes proponere. Vereor autem, ne fallantur! Facile est probatu, hoc modo solidum firmumque satis iuris communis cambialis fundamentum, sive singulas theses, sive integrum

A systema

systema species, poni non posse. Quae quidem assertio mea praecipue nititur rite formata iuris communis notione, optime ni fallor enucleata in ill. RUNDII Grundsätzen des allgemeinen deutschen Privatrechts, §. 79. sqq. & in cl. HUFELANDII Beytraegen zur Berichtigung der positiven Rechtswissenschaften, St. I. p. 59.

Ius commune in sensu iuridico mihi significat omne sancitum circa quoddam obiectum, quod in maiori minorive regione tanquam regula considerandum est, i. e. quod generaliter per totam regionem vim habet, donec specialis legislatio exceptionem fecerit. Sic ex. gr. ius Romanum & Canonicum per Germaniam vim communem habet.

Uti in longe plurimis iuris patrii argumentis, sic quoque in negotio cambiali destituti sumus normis communibus scriptis, licet ingens sit numerus legum statutariorum circa illud. — Cum vero hae admodum mancae essent, & ICTOS urgeret necessitas, excogitandi normas, communiter valentes, ad quas recurrere possent, ut illarum lacunas explerent, in mentem illis venit, componere ex consensu ordinationum cambialium ius quoddam cambiale commune. Scilicet id, in quo plurimae leges particulares conspirarent,
vendi-

—
venditabant tanquam normas, vi legum communium præditas. Inde centones isti dissertationum, in quibus sexcentae ordinationes cambiales ad hoc illudve revocantur argumentum.

Non ista via datur adire Corinthum! Non ita factis sit definitioni iuris communis, supra propinatae! Fac esse quaedam, in quibus omnes ordinationes cambiales conspirent; quid inde sequitur? Scilicet dari quaedam sensu historico aut si manus per accidens communia, non autem ex iuris necessitate. Nam etiamsi quid in omnibus ordinationibus cambialibus eodem modo constitutum invenitur, tamen ex. gr. Hamburgi non valet, quia valet in reliquis locis, ubi ius cambiale viget. Fac enim in ordinatione cambiali Hamburgensi illud ipsum sancitum non esse, num asserere auderes, idem Hamburgi quoque vim habere, quia in omnibus reliquis ordinationibus cambialibus receptum invenitur. Cum tamen, ut normas communiter valentes ad decidendos casus, quos ordinationes cambiales statutariae omittunt, eruamus, eo magis necesse sit, quominus perfectae atque a rerum copia & ubertate absolutae hae esse soleant, ad illas investigandas aliam viam ingrediamur. Et quidem tales derivari posse manifestum est

ex notione & natura negotii cambialis; quippe, quae inde concludendo & ratiocinando sequuntur, non fieri potest quin habeant vim, ubicunque negotium cambiale vigeat. Quomodo vero ad abstractam istam, quam petimus, cambii, vel cuiusdam alius instituti positivi, notionem perveniatur, quaestio est, haud levibus difficultatibus laborans. Multis viris iam hic aqua haesit. Consultum videtur, antea dispicere, quatenam istius modi notioni inesse debeant, quatenam secus, ne disputatio fiat vaga & circumforanea. Insunt urgeo omnia ac singula, quibus demtis alia notio nominenque fit; absint contra cuncta, quae nimis peculiararia nimisque arbitraria sunt, quam ut quaelibet legislatio statutaria ipsis servire, & tanquam capiti inhaerere invita quamvis obstricta sit.

Hisce positis, cambium mihi esse videtur scriptura, verbum cambii continens, qua quis promittit, se aliquid vel ipsum, vel per certam personam certo tempore soluturum, facta oblatione ad carcerem sub lege paratissimae executionis, si non solvatur.

Series conclusionum, ex hac notione sponte promanantium, si in usum vocantur, large satis materies est,
qua

qua systema iuris cambialis, communis omnibus omnino locis, ubi negotium cambiiale viget, exstrui queat.

Ita fontes iuris communis latent in ipsius instituti cuiusvis natura & indole. Nec ex alio fonte, quotiescunque iuris communis ratio habenda erit, in hac scriptiuncula de indossatione hauriendum esse mihi duxi.

Secundo nonnulla mihi monenda esse videntur circa rerum ordinem, quo usus sum in digerendis his, quae ad indossationem cambiorum pertinent. Vulgare est, in tractando argumento ex iure quodam statutorio ius commune praemittere, & dispositiones statutarias tanquam exceptiones subiicere; quotamen argumenti concinnitas perit, ita ut ea, quae exponere finis tractationis est, tanquam exceptiones non nisi in transcurso moneantur. In hac commentatione vertitur res. Praemittitur ius statutarium Hamburgense, & non nisi eo silente, recurritur ad ius cambiiale commune; quem ordinem fini, quem mihi proposui, magis convenientem censui. Id enim agens, ut referrem, quid iuris sit Hamburgi ratione indossationum litterarum cambialium, primum ordinationem cambiale patriam evolvi, & non nisi ea nil disponente, confugi ad ea iura,

quae a me tanquam supplementa statutorum Hamburgensium considerantur, nempe ad ius cambiabile commune, vel, si qua res ex instituti cambialis communi natura lucem non habet, ad ius commune civile. Ita etiam, cum in omnibus casibus, in patria ordinatione cambiabili decisus, expositione iuris cambialis communis supersedere potuerim, factum est, ut haec scriptio, nisi ab aliis dotibus, certe a brevitate sese commendet.

SECTIO I.
COMMVNIA DE INDOSSATIONE.

§. I.

Cambiorum, quae ingentem hodie praestant utilitatem in re mercatoria, exiguus tantum foret usus, nisi inventus esset modus, ius suum e cambio in alterum transferendi, liberatus ab omnibus iis, quae alias in eo genere requiruntur, iisque tantum obnoxius, quibus omissis voluntas non amplius certa maneret. Ita introducta est indossatio litterarum cambialium eo consilio, ut earum usus eo latius pateret.

§. 2.

Indossatio est cambio inscripta translatio iuris ex eo in alium. Qui ius ex cambio transfert, indossans, in quem transfertur, indossatarius, debitor cambialis a quo solutio fit, indossatus audit.

§. 3.

Iuris ex cambio translatio ex duplici causa fieri potest, dum vel ius ipsum alteri ceditur, vel exercitium eius alteri demandatur. Prima indossatio per modum cessionis, altera indossatio in procura vocatur. De illa nunc, de hac sectione tertia agemus.

S E C T I O II.
DE INDOSSATIONE PER MODVM
CESSIONIS.

Ea, quae requiruntur ad indossationis validitatem; i. e. ad indossationem, in qua ordinarii effectus locum habent, optime definire poterimus recensendo sigillatim omnia, quae inveniuntur in indossatione omnibus partibus absoluta, non nisi iis in necessariis habitis, ob quorum defectum tollerentur vel suspenderentur effectus indossationis.

Fraecipuus eius finis est, ut ius ex cambio pro valide translato habeatur, & debitor cambialis indossatario satisfaciatur. Inde fit, ut omnia requisita ad ista duo capita redeant.

§. 5. 1) *Primo agendum de iis, qui indoffare possunt. Et quidem requiritur:*

1) Ut libere de patrimonio disponere possint. Quae alias trita observatio magni momenti est ratione eorum, qui decoxerunt. Hi, simulac declaraverunt, se non solvendo esse, vel si ob causas, in legibus determinatas 1), pro decoctoribus habentur, amplius indoffare nequeunt.

§. 6.

2) Ut non excepti sint a rigore cambiali. Quinam apud nos sint, scriptum est in articulis, adiectis ordinationi
cam-

1) *Hamb. Fallitenordnung, art. 1. „Wenn einer selbst sich für insolvent erklärt, oder nach ergangener Verurtheilung und darauf erfolgter Hülfe nicht pfandbar befunden ist, oder Freyzettel Schulden halber auf ihn erkannt sind, oder einer acceptirte Wechsel von Nichtbezahlung gegen sich protestiren läßt, oder wenn er seine Güter zur Zeit, da auf Bezahlung in ihn gedrungen, heimlich wegbringen läßt, ingleichem wenn er seine Kreditores privatim zusammenruft und ihnen einen Accord anbietet, und einer oder mehrere Kreditores solchen anzunehmen sich weigern; oder er sonst durch andere Umstände zur rechtlichen Vermuthung einer Insolvenz begründeten Anlafs giebt; so ist selbiger für fallit zu achten.“*

B

cambiali 2). Indossatio, a talibus facta, haud quidem nulla est, sed regressus secundum ius cambiale adversus eos locum non habet, & habendi sunt pro assignantibus iuris civilis.

§. 7.

3) Ut indossanti ius competat, cambium in alium transferendi. Inde cambium in eum scriptum, vel in eum indossatum esse oportet.

Hic ventilanda venit quaestio admodum controversa: num, ut alicui tribuatur facultas, ius suum ex cambio alteri

2) Art. 3. „Alle Wechselbriefe, welche von Minderjährigen, die das 22te Jahr nicht zurückgelegt haben, ausgestellt, indossirt oder acceptirt werden, sollen - - ungültig geachtet werden. - - Ebenso auch die Wechsel, welche von solchen Personen ausgegeben, acceptirt oder indossirt sind, die sich unter väterlicher Gewalt befinden und für sich nichts Eignes haben, noch - - - Handel und Gewerbe treiben, oder da sonst - - - nichts für sich kontrahiren oder veräußern können, - - - Wenn Gelehrte, Geist- und Weltliche, Schulbediente, Handwerker, und andere nicht negociirende Personen Wechsel ausgeben, indossiren oder acceptiren, - - so hat zwar das geschärfte Wechselrecht gegen sie keine Statt; jedoch sollen sie gleich die Summe baar oder an genugamen Pfändern deponiren, oder zulängliche Bürgen stellen; oder da sie - - eydlich erhärten würden, dafs sie zu beyden nicht gelangen können - - mit Cavirung ihrer Immobilität admittiret, oder endlich - - - ad iuratoriam cautionem zugelassen werden.“

teri cedendi, requirantur in cambio vel in indoffamento
verba: „an Caius *oder Ordre*“?

Hamburgi quaestio affirmanda est per art. 15. & 35.
ordinationis cambialis. Quae legis dispositio 3) vero haud
consentit cum iure cambiali communi, quod potius rem in
contrarium decidit. Nam ex iure communi non requiri-
tur, ut verba: „an Caius *oder Ordre*“ inserta sint; imo
ad tribuendum Caio dominium cambii & ius de eo dispo-
nendi sufficit, cambium in eum simpliciter exaratum vel
indoffatum esse. Nihil nam naturale est, quam ut cuilibet
liberum sit, ius suum in alium transferre (exceptis per-
sonalissimis), nec necesse esse, hanc facultatem ab auctore
specialiter illi tribui.

Nec facit ad hanc sententiam de iure communi re-
fellendam argumentum valde acutum: verum esse, quemli-
bet ius suum alteri cedere posse absque debitoris cessi
consensu; sed ius commune, hoc statuens, id quoque curare,
ut per eam cessionem debitoris conditio deterior haud red-
datur. Nam quoad effectum iuris personam creditoris non

B 2

mutari,

3) Art. 15. - - - „vor solcher Präsentation soll einem *an Ordre* zu
zahlen lautenden Wechsel - - - an *Ordre* zu verhandeln unbenom-
men seyn.“

mutari, cum debitor omnes exceptiones, quas contra cedentem habeat, cessionario opponere possit; in indossatione cambii vero, per modum assignationis facta, rem aliter se habere: indossato contra indossatarium nullas competere exceptiones ex persona indossantis; ius indossatarii ex cambio, simulac legitime id acquisiverit, haud amplius connexum manere cum iure antecessoris, sed fundari in legitima cambii possessione.

Ratiocinatio ista (respondeo) vera quidem est, & plane destrueret sententiam meam, nisi falsa esset assertio, cui innitur. Supponitur enim in ea, principium esse iuris cambialis communis, quod indossatario exceptiones ex persona indossantis opponi nequeant. Id vero nullo modo probari potest. Ex notione certe cambii nil sequitur, nisi hoc: ei, qui ius habet, eius solutionem petendi, exceptiones illiquidas opponi non posse. Assertio supra allegata ergo secundum ius cambiale commune eatenus tantum defendi potest, quatenus exceptiones ex persona indossantis illiquidae sunt. — Id vero lubenter concedo, ubicunque haec norma specialiter sancita sit, etiam absque expressa legis dispositione insertionem verborum „oder *Ordre*“ necessariam esse.

§. 8.

Quisnam ex pluribus sociis mercatoriis valide indossare possit, ex eo, quod in contractu societatis inter eos actum est, diiudicandum. Nonnunquam in unum eorum transfertur tota negotiatio cambialis, qui tunc tanquam infitor considerandus. Sin minus, nec aliquid in eo genere constitutum sit, quilibet socius valide indossare potest, cui ius tributum, per subscriptionem suam societatem obligandi (*das Recht zu firmiren*).

§. 9.

Unus eorum quoque, quorum operis mercator ad exercendam mercaturam utitur (*Handlungsbediente*), tanquam infitor negotiis cambialibus praeponi, vel, domino absente, ius cambia indossandi in mandatis habere potest. Hoc casu mihi applicanda videtur dispositio art. 8. 4) ob rationis identitatem, licet de acceptance tantum loquatur.

B 3

§. 10.

4) - - -, „Wollte aber - - - sein Diener, oder wem er solche Vollmacht gegeben, solche Acceptation in seinem Namen thun, soll solches mit Unterschreibung sowohl des Patroni oder Mandantis, als seines eignen Namens, nebst wirklicher Producirung seiner und zwar notarialen Vollmacht geschehn; und alsdann soll der Prinzpal an solche Acceptation, als wäre sie eigenhändig von ihm geschehn,

§. 10.

Quod attinet ad formam indossationis,

1) contineat necesse est mandatum indossantis, ad indossatum directum, debitum cambiale indossatario solvendi. Quaelibet oratio, hanc mentem exprimens, sufficit. Ufu introducta sunt verba: „für mich an Caius“.

§. 11.

2) Nomen indossatarii atque indossantis exprimentum est; & quidem huius subscriptio necessario requiritur ad significandam voluntatem, ius e cambio transferendi. Illius vero, quia translatio absque expresso nomine eius, cui fiat, exitum habere nequeat.

§. 12.

3) In decidenda quaestione: utrum adiectio praenominis necessaria sit, nec ne? distinguendum mihi esse videtur inter praenomen indossantis & indossatarii. Si quaeritur de

schehn, gehalten seyn, widrigenfalls und bey Unterlassung obiger Formalität bey der Acceptation soll solcher Wechsel als nicht acceptirt protestirt werden.“ Ita quoque indossatio, a tali mandatario absque his requisitis facta, nulla foret, & indossato inde competeret exceptio.

de praenomine indossantis, duo casus obvenire possunt. Persona indossantis vel singulus homo est, vel societas mercatoria. Si hoc casu nomen collectivum, quo socii utuntur (*Firma*), unius vel omnium praenomen continet, eius adiectio necessario requiritur. Quem enim in finem tale nomen collectivum sibi tribuerent, idque notum facerent socii, nisi ad significandum, se non nisi eius accurata subscriptione obligari velle. — Primo vero casu indossantis solum nomen sufficit, cum illud subscribendo iam demonstrat, se ius ex cambio in alium transferre velle.

Si vero agitur de praenomine indossatarii, reputes haec: Per indossationem indossatarius legitimari debet ad exercendum ius ex cambio. Nomen eius illi inscribitur, ut indicetur, eum esse, in quem indossans ius transferre velit. Quando cambium praesentat, probare debet, se esse, cuius in indossatione mentio fiat. Id vero sufficienter fieri nequit sola probatione, idem sibi nomen esse cum eo, quod in indossatione expressum sit, cum per sepe idem nomen pluribus commune sit, & fieri possit, ut cambium in quendam eorum illegitimo modo pervenerit. Idcirco adiectio praenominis necessaria est, ut indossatarius distinguatur ab illis, quibus cum ipso nomen commune est.

est — Indossatus vero, omisso praenomine, solutionem reculare potest, donec praesentans se melius legitimet.

§. 13.

4) Difficilius respondetur ad quaestionem: num valeat indossatio in bianco facta? In bianco vero indossatur cambium, si indossans loco indossationis nomen suum tantum illi inscribit, eoque facto cambium tradit ei, in quem ius ex illo transferre vult, ut vacuum spatium pro lubitu expleat.

§. 14.

Hic indossandi modus, ubicunque floret negotiatio cambialis, multa commoda mercatoribus praestat. Contra vero ansam praebet fraudibus litibusque, cum tale cambium facile in manus fraudatoris venire, & sic solutio ei fieri possit. Inde multae ordinationes cambiales eiusmodi indossationes plane prohibent.

Aliae vero, inter quas & Hamburgensis referenda, circa eas nil statuunt. Quomodo ergo in his locis res se habeat, utrum nempe is, qui cambium, in bianco indossatum, acceptavit, ob deficientem legitimationem ad causam praesentanti solutionem denegare possit, nec ne? ex iure communi cambiali diiudicandum.

§. 15.

§. 15.

Iam si rem ad ius commune referimus, duo casus bene distinguendi sunt. *Primum* faciamus: acceptanti praesentari cambium cum indossatione in bianco nondum expleta. Extra dubitationis aleam positum est, nudam cambii possessionem non sufficere ad legitimandum possessorem ad exigendam solutionem; sed legitimationem alio modo adhuc fieri necesse esse. In indossatione vero in bianco facta & non expleta nulla adest declaratio indossantis, se ius, debitum cambiale exigendi, in praesentantem transferre velle. Acceptans ergo praesentantem nullo modo rite legitimatum ad accipiendam solutionem habere potest, & si solveret, nec praesentans legitimus cambii possessor esset, damnum ferre deberet. Hic ergo locus est dispositioni articuli 41. ordinationis cambialis 5).

§. 16.

5) „Wenn acceptirte Wechselbriefe verfallen und kein richtiges Indossament vorhanden, soll nach verfloßnen Diskretionstagen der Inhaber des Wechsels suffisante Caution leisten (wofern er dessen Zahlung verlangt), das Indossament in einer gewissen unverlängerten Zeit richtig zu leisten, worauf denn der Acceptant schuldig seyn soll zu bezahlen.“

C

Alter casus existit, si indossatio, in bianco facta, ab indossatario expletur, & sic cambium ad solutionem praesentatur. Riccius in exercitationibus iuris cambialis, exerc. VI. §. 37. pag. 5. contendit, indossationem tali modo expletam, invalidam esse, ubicunque indossationes in bianco non expresse admittae sint; quia secundum principia communia indossatio necessario ab ipso indossante explenda fit, nec id legitime ab indossatario fieri possit.

Ad probandam hanc sententiam, in quam sine dubio ingens numerus ordinationum cambialium, quae indossationes in bianco prohibent, eum adduxit, non nisi unicum allegat argumentum, abusum nempe, qui facillime ex hoc indossandi modo oriri possit. Id vero mere politicum est, ideoque occasione legis adhuc condendae circa indossationem in bianco opportune in medium proferri possit; in diiudicando autem, quid iuris sit, ubi lex prohibitiva non exstat, ad prohibitionem non sufficit.

Contraria potius sententia, uti mihi videtur, sequentibus rationibus evinci poterit. Nemo dubitabit, eum, qui nomen scripturae subscripsit, ita considerandum esse,
ac

ac si scripturam ipse confecisset. Idem vero est, si quis alteri mandat, scripturam conficere, & iam in antecessum animo se obligandi nomen suum chartae, scripturae destinatae, inscribit.

Verum quidem est, multa excipi posse contra vim probandi chartae blancae, ab alio postea expletae. Omnia autem, quae obiici solent, in eo nituntur, quod facillime mandatarium subscriptoris contra huius intentionem alia atque alia inserere possit. Sed his obiectionibus occurratur, si consilium subscriptoris paucis clare exprimitur, ex. gr. ita: *Blanquet zur Vollmacht &c.*; & si huic annotationi argumentum scripturae ipsum respondet. Iam vero indossans in bianco consilium suum, se facultatem indossandi alteri tribuere velle, satis aperte tam subscriptione, quam traditione cambii declarat; quo fit, ut usus, cui spatium vacuum inservire debeat, omnibus circumstantiis tam arcte definitus sit, ut nil rerum valide illi inscribi possit, quam expletio indossationis.

Nihilo secius tamen omnino fieri potest, ut cambium, in bianco indossatum, ad illegitimum possessorem perveniat, atque ita, falso nomine inscripto, solutio ei fiat,

cui indoffans haud tribuere voluit ius, eam exigendi. Id fieri posse negari nequit. Sed hic non agitur de modo obveniendi omni fraudi in cambiis, sed tantum de eo, num acceptans ob hanc rationem legitime solutionem denegare possit praesentanti?

Non denegari illam posse, iterum contendo. Nil deest indoffationi. Subscriptio illum credere cogit, genuinam indoffantis voluntatem adesse, & hunc mandasse, ut debitum cambiale ei solvatur, cuius nomine indoffatio expleta sit. — Ergo solvendum est, quia indoffatario exceptiones liquidae opponi nequeunt. — Si possessori illegitimo solvitur, damnum ferat is, cuius culpa ortum est; acceptans vero securus est.

§. 17.

5) Indoffatio cambio inscripta esse debet, vel saltem partem eius facere. Utrum in dorso cambii, an subter eo scripta sit, perinde est. Si iam totum cambium impletum est, alia pagina indoffationes continuari possunt, quae vero resina signatoria, vel alio modo cambio ita iungi debet, ut tanquam pars eius considerari possit.

§. 18.

Coniunctio indoffationis cum charta, cui cambium inscriptum haeret, adeo necessaria est, ut, ea omissa, indoffatio

fatio pro tali habenda plane non fit. Indoffatio enim per se vi cambiali non gaudet, nec eam accipit, nisi ex connexitate cum cambio.

§. 19.

6) Temporis atque loci adiectio necessaria non est, licet non negandum sit, ex alterutrius omissione lite existente multas difficultates oriri posse. Cardio litis eo redire potest, num indoffans *tempore*, quo indoffavit, legitime adhuc indoffare potuerit? Sic quoque certo *loco* singulares legis dispositiones circa indoffationem existere possunt, quibus lite orta unus alterve se fundat. Tali casu existente probatio difficilis reddi potest.

§. 20

Quamvis vero hanc ob causam indoffatarius facultatem habeat, ab indoffante exigendi, ut tempus locumque adiciat; utriusque tamen omisso acceptanti exceptionem praebere nequit, ob quam solutionem deneget. Adiectio temporis locique, in quo contractus initus est, per se secundum ius commune ad validitatem negotii non requiritur; nec in iure cambiali invenimus rationem sufficientem ad id asserendum.

Is, qui se fundat in tempore vel loco, in indoffamento omisso, cum id res facti sit, probationem eius suscipiat, necesse est; quae vero cum altioris indaginis sit, in processu cambiali admitti nequit.

§. 22.

7) Multo minus requiritur, ut mentio fiat summae cambialis in indoffatione. Indoffatio scriptura est, quae se refert ad cambium, in quo summa clare definita est. Non nisi in eo casu, ubi indoffatio ad partem summae cambialis restricta est, eam determinari debere, apparet.

§. 23.

8) Non magis necessarium est, valutam exprimi in indoffatione, cum ne ius commune civile quidem id iubeat. Licet secundum hoc exceptio legis Anastasiana cessionario opponi queat (quam in indoffationibus, uti infra videbimus, ius cambiale reprobatur), tamen recte eius probatio debitori cessio incumbit. Fac vero, eam in indoffationibus ab indoffato adhiberi posse, tamen debitum cambiale solvere cogetur, quia exceptio legis Anastasiana in continenti liquida esse nequit, ergo in reconventionem reiicienda erit.

§. 24.

§. 24. *Effectus indossationis*, cui insunt omnia, quae tanquam essentialia statuimus, sunt sequentes:

1) Indossatario cambium indossatum tradendum est, & plenum eius dominium ad illum transit, ita ut pro lubitu de eo disponere, in alium rursus illud indossare, vel ipso tempore statuto solutionem exigere possit.

§. 25.

2) *Trassatus indossatario* absque omnibus ambagibus solvere tenetur; atque ex indossatione exceptio ei nasci nequit, nisi requisitum essentialiale illi desit, vel series indossationum fracta seu interrupta sit, id est, si quaevis consequens quamlibet antecedentem non rite excipiat. Tunc articulus 41. *trassatum* liberat a solutione, donec indossatus caverit de defectibus indossationis intra aliquod tempus suppleendis. Si cautionem praestare nequit, ad depositionem progrediendum.

§. 26.

3) Si tempore, solutioni statuto, debitor cambialis non solverit, indossatarius ut eum excutiat necesse non est, sed statim recurrere potest ad suum indossantem, eius antecessores atque ipsum *trassantem*. Nec quidem necessario certum ordi-

ordinem a suo indossante usque ad trassantem sequi debet, sed protinus eum eorum aggredi potest, a quo potissimum solutionem se accepturum esse sperat. — Omnes simul in solidum obligati sunt, ita ut singuli non antea liberentur, quam indossatario plene satisfactum sit 6).

§. 27.
4) Contra indossatarius tenetur, statim indossanti valutam solvete, nisi aliud inter eos actum sit. Alias ex interpreta-

6) Art. 32. „Wenn ein selbst ausgegebener oder acceptirter Wechselbrief zur Verfallzeit nicht bezahlt wird, stehet dem Inhaber des Wechsels frey, nach gehöriger Protestirung seinen Regress an denjenigen Indossanten zu nehmen, bey welchem er vermaynt seine prompteste Zahlung zu erhalten; und wenn mehrere derselben seyn, sogleich an andere, bis auf den Ausgeber. Es bleibet aber der Acceptant nichts desto weniger dafür gehalten, und in des Inhabers Belieben, solchen erst oder hernach anzugreifen, und bleiben Ausgeber, Acceptant und Indossanten alle und jede in solidum bis zur völligen Richtigkeit verhaftet.“

Art. 34. „Gleicherweise wenn der Zieher, Acceptant und Indossant, insgesamt oder einer von ihnen falliren sollte, hat der Inhaber, wenn gehörig protestiret worden, seine Bezahlung zu suchen bey wem der übrigen er will, und von einem oder andern zu empfangen, so viel er bekommen kann, bis er die Vergütung des Wechsels mit Ricambio und Unkosten vollkommen erhalten hat.“

pretatione extensiva art. 3. 7) paratissima executioni sub-
iicitur. Tum etiam omnia observare debet, quae circa
praesentationem iusta sunt. Quod nisi fecerit, damna sua
culpa orta ipse ferre debet. In primis vero, si tempore statu-
to acceptans non solvit, non negligat protestationem; alias
perdit regressum contra indossantes, & nemo, nisi acceptans,
illi de solutione tenetur 8).

§. 28.

Aliquando quoque hic regressus locum non habet,
quia id inter partes conventum est, si nempe indossans in-
dossationi adiecit declarationem, se bonitatem debiti cam-
bialis praestare nolle; quod his verbis: *frey von Giro*
fieri solet. De eo vero antea cum indossatario convenerit,
necesse est.

§. 29.

7) „Wenn ein Wechselbrief geschlossen, und der Geber nicht gleich
die Valuta bezahlt, soll gegen seine Person oder Güter, ohne ge-
richtliche Erkenntnis, gleich von dem Herrn Praetore auf die wirk-
liche und völlige Zahlung, ohne Unterschied wie hoch die Summe
sey, mit der paratesten Execution verfahren werden.“

8) Art. 27. „Wenn ein Wechselbrief verfallen, und nach den 12 Ta-
gen erst würde protestirt werden, so hat der Inhaber damit sein
Recht an den Principalanfnehmer und Indossanten verlohren, und
muß sich allein an den Acceptanten halten.“

Hic oritur quaestio: num is, qui illis verbis adiectis indossavit, eo casu, si cambium eiuratum fit, teneatur ad evictionem praestandam, nec ne? Equidem censeo, eum omnino teneri; nam licet ob declarationem, indossationi adiectam, ab evictionis praestatione quoad bonitatem nominis liberatur, nihilominus tamen ex iure communi, cui in hoc casu nulla iuris cambialis dispositio derogat, quoad veritatem nominis ab illa non liberatur. Atqui, cambio eiurato, non possumus non censere, re vera debitum, ergo nominis veritatem defuisse.

Secundo quaeritur: num hic regressus iuris cambialis contra indossantes locum habeat, etiamsi cambium ob defectum essentialem pro tali haberi, ideoque ex iure cambiali diiudicari nequeat?

Ill. PÜTTMANN id affirmat, quia indossatio quodam modo tanquam cambium per se considerari possit. Potest utique, si id spectamus, ut ex indossatione, inscripta cambio valido, regressus cambialis contra indossantem pateat; attamen indossatio hanc vim non per se habet, sed tantum tanquam appendix cambii; quod inde apparet, quia indossatio

tio, quae alii instrumento, v. gr. cautioni vel assignationi inscripta esset, certo vim memoratam non haberet.

Aliam rationem sequor. Scilicet cum cambium, quod laborat defectibus essentialibus, plane non pro cambio, sed tantum pro simplici cautione vel assignatione habendum sit, consequens est, ex indossatione, illi inscripta, regressum cambialem non dari.

§. 31.

Extra indossationem alius adhuc existit modus, ius ex cambio in alium transferendi, nempe cessio ordinaria. Cum haec vero plane secundum ius commune diiudicanda sit, supervacuum est, eius requisita singulatim recensere. Sufficiat dicere, cambium & ius ex eo in cessionarium transferendum, atque ectypon cambii inferendum esse, ne ullum dubium circa id oriri possit. Simul cambium cessionario tradendum est, sine cuius praesentatione debitor cambialis solvere non teneretur.

§. 32.

Talis cessio non habet nisi effectus, quos ius commune ei tribuit, nec ullos eorum, quos rigori cambiali debent indossationes. Differentia inter utramque adeo notabilis est, ut paucis eam demonstrare operae pretium sit, eo magis,

quo saepius multi ad nauseam usque utrumque modum, ius ex cambio in alium transferendi, confundunt.

§. 33.

Antea vero brevi adhuc animadvertam, errare eos, qui in diiudicanda cessione cambii, nullam rationem habent obligationis cambialis, ideoque considerant debitum cambiale tanquam simplex debitum, atque propterea normas iuris communis circa cessionem nimis generaliter applicant ad cessionem cambii, absque ullo respectu differentiae, quae ex eo, quod debitum cessum debitum cambiale est, necessario oriri debet, cum effectus obligationis cambialis propterea haud pereant, quod ius ex cambio non per indossationem, sed per cessionem ordinariam transferatur.

Sic ille, cui cambium cessum est, aequè ac is, cui indossatum, solutionem debiti cambialis secundum ius cambiale exigere potest. Hoc ius tribuit possessio cambii, quisquis ad eam se legitimare possit, nec singularis effectus indossationis est. Legitimatatio vero aequè non minus per cessionem, quam per indossationem fieri potest.

§. 34.

Ista confusio effectuum obligationis cambialis primae & indossationis, nonnullos induxit ad asserendum,
cessio-

cessionem cambii debitori cambiali indicandam esse, quippe qui alias cedenti solvendo se liberare possit. Id vero non magis in cessione cambii, quam in indossatione necessarium, cum cessionarius non minus, quam indossatarius cambium possideat, debitor autem cambialis se liberare nequeat, nisi ei solvendo, qui cambium possideat, idque ei facta solutione tradat.

§. 35.

Ex his quoque pronò alveo fluit decisio quaestionis, a scriptoribus iuris cambialis saepe ventilatae: num cessio antiquior recentiori indossatione fortior sit, nec ne? — Fingunt, Caium habere cambium, a Titio solvendum, idque illum cedere Sempronio, postea vero Paulo indossare; tempore, solutioni constituto, utrumque eam a Titio petere, ergo quaeri, cuiusnam ius fortius sit?

Ex supra dictis de traditione cambii, cessionario faciendâ, apparet, hunc casum ordinariè existere non posse. Si vero cambium ex errore vel alia causa speciali cessionario haud traditum, & a cedente postea alii indossatum sit, facile est probatu, cessionarium indossatario postponendum esse.

Si in hoc casu indossationem pro simplici cessione haberemus, extra dubii aleam positum esset, Paulum Sempro-

nio postponendum esse, cum ius, iam alicui cessum, a cedente in alium amplius transferri nequeat. Secundum ius cambiale vero planè vertitur res. Cum enim accèptans solvere non teneatur, nisi cambio praesentato & eius traditione facta, cessionarium Sempronium repellat exceptione, eum ad causam non legitimatum esse; indossatario Paulo vero, qui cambium possidet, & cui ad eius solutionem petendam indossatio ius tribuit, recte solvet.

§. 36.

Iam pervenimus ad recensendas principales, quae inter indossationem & cessionem sunt, differentias:

1. In indossatione indossans nominis bonitatem praestare tenetur. Notum est, cedentem non nisi ad nominis veritatem praestandam obligatum esse. Sufficit, cedenti re vera competere nomen, quod cedit; nec, si debitor cessus solvendo non est, cessionarius ad cedentem recurrere potest, ut hic damnum sibi resarciat. In indossatione vero res aliter se habet. Nexus inter indossantem & indossatarium non prius solvitur, quam huic ab indossato satisfactum sit. Non sufficit, ius, quod in eum transfert, fundatum, seu nomen verum esse. Haec differentia inde oritur, quod indossatio proprie nil nisi assignatio est. Continet duplex manda-

mandatum, primum, ad indossatum directum, ut debitum cambiale indossatario solvat; inde hic ad cambium solvendum cogi nequit, nisi acceptatione sua se ad id obligaverit; alterum, quo indossatarius fit mandatarius in rem suam. Ius in hunc transfertur, solutionem ab acceptante accipiendi, & pecuniam sibi habendi. Si is vero non solvit, recurrit ad indossatarium, qui ab obligatione haud prius liberatur, quam indossatario re vera satisfactum fit.

§. 37.

2. Exceptio legis Anastasiana locum non habet in indossationibus. *Lege pen. Cod. mandati* sancitur, cessionarium non plus consequi debere a debitore cesso, quam cedenti pro debito cesso dederit. Inde cessionario a debitore cesso exceptio obiici potest, eum minus dedisse, quam exigat. Quod vero ius cambiale prorsus reprobatur. Nam exceptiones, in processu cambiali opponendae, liquidae esse debent; haec vero, si qua alia, altioris indaginis esse solet. Cum tamen casu obvenire possit, eam liquidam esse, si verbi causa forsitan valutae in indossatione mentio facta sit, alia adhuc ratio, ex ipsa negotii cambialis natura petita, in promptu est. Cambiorum enim, sicut aliarum mercium, quae obiecta negotiationis sunt, pretium pendet a multis diver-

diversisque circumstantiis; ideo fit, ut non semper valuta accurate respondeat summae, in cambio ipso, vel in indossatione exaratae. Valor forensis nummorum (*Cours*), maior vel minor numerus cambiorum, in certum locum directorum, quae veneunt, magnus vel parvus numerus emtorum, fides quae habetur trassato vel trassanti, omnia haec multum conferunt ad definienda cambiorum pretia, quae pro vario illorum momentorum concursu nunc valde augeri, nunc diminui possunt.

§. 33. *Maximi momenti est alia differentia inter indossationem & cessionem, quae quidem haud iuris cambialis communis est, cum nullo modo ex cambii notione deduci possit, quam vero plurimae ordinationes cambiales statuunt, & quae Hamburgi haud quidem lege scripta 9), sed diuturno usu introducta est. In eo consistit, ut indossatus indossatario*

9) Huc pertinet art. 15. ord. cambialis, qui alias vix intelligi possit. Sancitur ibi, nullum indossamentum in praesudicium indossati valere, quod, cambio ad solutionem iam praesentato, inscriberetur. Haec sanctio ratione sufficiente destituta foret, nisi ponas, indossatario exceptiones ex persona indossantis non obtinere. Quomodo enim alias evenire possit, ut praesudicium indossatario creiretur ex translatione cambii in alium?

rio nullas exceptiones ex persona indossantis opponere que-
a; ut contra debitor cessus omnibus exceptionibus, contra
cedentem sibi competentibus, adversus cessionarium uti pos-
sit. Non difficile est intellectu, hanc normam necessario
statuendam esse, si negotium cambiiale promovendis com-
merciis inservire velimus. Quis enim cambium emeret, idve
in se indossare sineret, si verendum esset, ne, cambio ad-
solutionem praesentato, indossatus ob exceptionem ex per-
sona indossantis, ex. gr. solutionis vel compensationis, solu-
tionem denegaret. Ita difficultatibus & vexationibus innu-
meris utilitas, quam indossationes commerciis praebent,
submergeretur.

S E C T I O III.

DE INDOSSATIONE IN PROCURA.

§. 39.

Absoluta iam tractatione indossationis per modum
cessionis, ad alteram indossationum speciem venimus, nem-
pe eam, quae fit in procura. De qua pauca tantum nobis
dicenda erunt, cum, cognitis indossationis per modum ces-
sionis requisitis & effectibus, sat erit, indicare illius differen-
tiam

E

tiam specificam, ut quilibet ipse diiudicare possit, quatenus quae de illa dicta sunt, etiam valeant de hac. Indossatione in procura demandatur exercitium iuris ex cambio nomine indossantis, cuius ratione indossatarius tanquam simplex mandatarius considerandus, ergo plane secundum normas, quae circa contractum mandati valent, aestimandus. Inde fluit, eum, qui in procura indossatarius est, tantum ius ex cambio contra acceptantem nomine alieno persequi, haud vero illud in tertium transferre, ergo nec auctoritate sua indossare posse. Omnia observare debet, quae pertinent ad implendum, quod ei mandatum est; in primis ergo, quae praesentationem cambiorum, & alia multa, quae commemorare huius instituti non est, concernunt. Omne denique damnus, quae ex ipsius culpa oritur, refarcire tenetur.

§. 40.

Sequitur porro, indossantem re adhuc integra mandatum, indossato indossatione factum, nempe ut debitum cambiabile indossatario solvat, revocare posse 10). Et quidem usque ad tempus, solutioni constitutum, illud revocare licet, cum acceptans antea solvendo se haud liberet 11).

§. 14.

10) Art. 53.

11) H. W. O. art. 31. „Es soll niemand einigen Wechselbrief bezahlen,

§. 41.

Exceptio tamen in legibus nostris quoad hanc revocationem mandati invenitur. Statuit enim art. 35, eam absque indossatarii in procura consensu locum non habere debere, si demonstrare possit, se tanquam mandatarium in rem suam constitutum, vel indossantem debitorem suum esse.

§. 42.

Apparet, distinctionem inter duas illas indossationis species maximi momenti esse, cum plane diversi effectus inde oriantur; & per sepe magna alicuius interesse, ut primo intuitu liqueat, quaenam earum in certo casu sit. Quis ergo non quaesiverit, quaenam signa sint, quibus a se statim dignosci possint?

§. 43.

Ordinatio cambialis patria normam circa utramque constituit art. 35. 12), qui proprie quidem de ipso cambio loquitur,

len, ehe und bevor derselbe betagt und verfallen. Denn, da es sich begäbe, das derselbe, an welchen die Bezahlung vor Verfallzeit geschehe, inmittelst fallirte, auf solchen Fall ist sothane Bezahlung zum Nachtheil und Gefahr dessen, der den Wechsel vor der Zeit bezahlt hat."

12) „Es mag auch derienige, so die Summa, so in dem Wechsel erwähnt,

quitur, ob rationem legis vero ad indoffationes recte applicatur. Statuit enim, adiectione vel omissione verborum: *oder Ordre* dignosci posse, utrum quis indoffatarius per modum cessionis, an in procura sit. Si indoffatio sonat: *an Caius oder Ordre* cessio prioris generis, si vero tantum habet: *an Caius* secundi subest; ita ut, si indoffatarius verbis *an Caius* indoffationem per modum cessionis esse factam contendit, ei probatio incumbat.

net, ausgezahlt hat, da solcher *ohne Ordre* gelauet, als *Herr des Wechsels* die darin begriffene Commission re-integra widerrufen. - - - Es wäre dann, daß der, an welchen der Wechsel zu bezahlen gelangt, kein schlechter Mandatarius, sondern entweder dieselben Pfennige ihm gehörig wären, und er bey dem Wechsel Advis bekommen, in rem suam die darin begriffene Summe zu empfangen, oder auch sonst er für den Sender an Effekten und dergleichen, in beweislichem Vorschufs wäre, als in welchen Fällen, ohne des Inhabers Mitbelieben, die Widerrufung nicht Statt haben soll."

T H E S E S.

I.

Testamenta secundum ius naturae invalida sunt.

II.

Mulieres secundum ius Romanum SCto Velleiano indistincte renunciare nequeunt.

III.

In puniendis criminibus unice eam rationem sequi debemus, ut reus in futurum ab iis perpetrandis arceatur.

IV.

In testamento parentum inter liberos, exheredari possunt liberi.

V.

Principi evangelico potestas ecclesiastica non nisi ex delegatione ecclesiae competit.

THESE

I. In nomine domini Amen

II. Philosophia secundum Aristotelem est habitus secundum rationem

III. Philosophia est habitus secundum rationem, ut dicitur in 1. 2. 2. philosophiae

IV. Philosophia est habitus secundum rationem, ut dicitur in 1. 2. 2. philosophiae

V. Philosophia est habitus secundum rationem, ut dicitur in 1. 2. 2. philosophiae



Kg 4999. 3¹⁰

ULB Halle
004 526 201




3

f

5b

1017







15

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA
DE
INDOSSATIONE LITERARVM
CAMBIALIVM
SECVNDVM
IVS CAMBIALE HAMBVRGENSE
COMMVNI IN AVXILIVM
VOCATO

QVAM
AVSPICII REGII
AVCTORITATE ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM
ORDINIS
IN
ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA
PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
RITE OBTINENDIS
DEFENDET
DIE XIX. SEPTEMBRIS MDCCXCV.
IOANNES MICHAEL GRIES
HAMBVRGENSIS.

GOTTINGAE
LITERIS GRAPIANIS.

